AD. EXEQUIAS.
DIVI. BOGUSLAI.
PRINCIPIS. RADSVILÎ.
GENERALIS. PRUSSIÆ. GUBERNATORIS.
&. &c. &c.

Magni. Virtutum. Posſesſoris.
HEROIS. Belli. Pacisq;. Artibus. Clari.
QUEM.
Vultus. Honor. Magnitudo. Pectoris.
In. Conſiliis. Acumen. Manus. Promptitudo.
Plurimos. In. Orbe. Principes.
Supereminere. Fecerant.
SUA. HÆC.
Pietati. Non. Genio.
Accenſenda.
Humillime. Conferre.
Debuit. Voluit.
Officio. Sepulturæ. Lugubri.
Prid. Non. MAI.
cIↃ.IↃc.LXX.
Peracto.


F. K. V. H.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

DIVI. MANES.

Contigimus METAM citius; Ne flete morantes,
Vos æquè huc OMNES LEX jubet UNA sequi.

Aspera visa licet via; META est dulcior inde,
Currite, vincenti pulchra CORONA datur.



ATrato luctus incedimus ordine, jussi
RADSVILII funus ducere grande DUCIS

Exuvias arcto nunc claudi cernimus ære,
ORBIS ubi neqviit claudere MENTIS opes.

Sic ATAVUM formandus erat de semine, prisca
NUMINA KITHAURUM cum statuêre GENUS.

Conspirare simul MARS, PHOEBUS, JUPITER, alma
Et VENUS, in GENIOS astra benigna pios.

Concinnâ PIETAS spirans dulcedine MORUM
Accessit, coëat qvo decus omne DEUM.

Omne tulit punctum PRINCEPS, belloq; togaq;,
Index Virtutum GRATIA FRONTIS erat.

MARTIVS ille ardor JUVENEM, quà TEUTONIS arma,
GOTHORVMq; diu quà crepuere, tulit.

MOSÆ, ARARIS, TAMESIS certatim Potor, in IPSUM
Gentes pulcræ, Oculis diriguêre suis.

Amne BORYSTHENIO sistenda ferocia THRACUM
Asterat, & promptam PATRIA sensit opem.

Imperiis asſveta piis, cum MAGNE juberes
BRENNO, RADSVILIO PRUSSIA ſecla canit;

Sangvineos verò campos, ex hoſte trophæa,
Captivos, captum, vulnera, qvasve vices?

Seros, mox viduos THALAMOS, GNATAMq; tenellam,
FATUMq; expectat flebile, cera vacans.

Eſt ſtylus, eſt & cera quidem, modò ſuffice MUSA
Exorata aliis & mihi digna cedro,

Nam ſtupor ex caſu, dolor & nunc altus ad urnam
Se renovans vires ſurripit ingenii.

MUSA ſed; Hæc humeros res latos, laxaq; mentis
Otia vult, aliò Te tua cura vocat.

TUq; quid? ILIADEM poſcis, nec vivit HOMERUS;
RADSVILIUM Cœli FAMA miniſtra vehat;

Non hermas poſuiſſe juvet, non carminis iſtud
Vile genus, Vatis non Elegia novi.

HOC HEROE cades feſſus; Cecidiſſe perinde
Ac dextra ÆNEÆ, nec leve nomen erit.

GE-

GENUS. MORTIS.

Improviſum. Feſtinum. Præmaturum.
QUO.

PRINCEPS. OPTIMUS.

Ingens. Inter. Suos. Et Exteros.

BOGUSLAUS. RADSVILIUS.

Curru. Vectus. In. Itinere
Ultimam. Eheu! Rerùm. Lineam.
Ultima. Anni. Exeuntis.
Eaq;. Emortuali. Die.
CIↃ. IↃC. LXIX.
Aſſecutus. Eſt.

O! lachrymoſa dies, Annus qva clauditur, O! qvos
Auguſtos obitus fers, O! acerba dies!

Eheu! non viſus mori obit fortiſſimus HEROS
RADSVILIUS! qvæ Nos vis inopina ferit?

Ibat quo PATRIÆ res ardua juſſerat, ibat,
De reditu certam ſpem citiore dabat.

Et

Et rediit primum lapidem feliciter intra
Præmeditans ANNI votaq; resq; NOVI.

En PERDIX fatis inopinis fortè propinqva,
Ipsa sui casus nescia sistit iter.

Jactu conficitur plumbi; Non dextra fefellit,
Non oculus, toto corpore sanus erat.

Sed repetens currum subiti vix fatus acuta
Tela mali, nullâ postea voce, perit.

Protinus exanimis riguit; Quæ, quæ necis, HEROS,
Caussa Tuæ? O! cladès, PATRIA, qvanta tua hæc?

O! dolor! O! Mihi vim mentis præclusit, O!, omnem,
RADSVILIUS cecidit! nil valeoq; magis.

Ipso ferali infelicissimoq; die
Externatus & lachrymas inter fusiores
Fudit.

F. K. V. H.

CURA. RECURSANS.

Acerbo. Super. Casu.
Dolore. Necdum. Soporato.

ICtuî submisit se PERDIX obvia. PRINCEPS
Itq; reditq; qvoad parvula præda cadit.

Arctior in currum redeunti, spiritus esse
Visus, vix paucis indicat IPSE malum.

Nequicquam vomitum vetito spiramine tentans,
Expirat, subito frigore membra labant.

PRINCEPS, incoctum generoso cujus honesto
Pectus spirabat REGIA qvæq;, cadit!

O! immite genus mortis, qvo perditur, Annos
NESTORIS optabat CUI TUA, LOECHE, SALUS.

QVEM magis impensè PRUSSORUM NUMEN amabat,
Veris QVEM lachrymis PATRIA nostra fleat.

PERDIX caussa mali si rectè dicitur, ex nunc
PERDITRIX, avium pessima, nomen erit.

Ullis deliciis nec erit, sed peior habetor
Corvo: RADSVILIÆ crimen & esto DOMUS.

INSCRIPTIO. SEPULCHRALIS.

RADSVILIUM, vesanus ovat cum LIVOR humatum,
FAMA negans, cineres heic tibi, dixit, habe.
PARS mecum sub Sole, super PARS sidera vivit
NOBILIOR; LIVOR cætera rode. LICET.

